

pulerit: imposterum nil amplius moliturum. Hic Paulus hære-  
re, Halincurtum vocare; ecclesiasticis viris tradi reos eccl-  
esiasticos velle; ut in Collegio controversiæ cum Venetis de-  
finiantur, non moleste ferre; in id etiam Reipublicæ patro-  
nos admissurum, modo sententiæ stare Senatus spondeat. Li-  
teras quoque sibi ab Henrico scriptas, Pontifici Halincurtius  
perlegit. Summa erat: *Nihil aliud, quam Dei Optimi Ma-  
ximi gloriam, christianaque reipublicæ incolumentatem intuen-  
tem Henricum, se veluti sequestrem in gravissimo negotio inter-  
posuisse; ut Veneti quæ poterant præstarent, enixe contendisse;  
neque vero parum obtinuisse arbitrari: nisi bis Pontifex acquie-  
scat, ad armaque ventum sit, vereri, ne ad hereticorum in Ita-  
liam anbelantium impetum cobibendum impar prorsus sit.*

Inter hæc ad bellum necessaria summa contentione para-  
bantur. Ut sex peditum millium delectus haberetur, Senatus  
decrevit: aucta militiae stipendia; scloppettariis qui tribus  
aureis merebant, quatuor; qui moschettis militabant, cum  
anteā nummos quatuor aureos haberent, quini monetæ Ve-  
netæ tributi. Ut in Rhodiginam peninsulam legatus cum  
eadem, qua trans Mincium Nicolaus Delphinus lectus fue-  
rat, auctoritate mitteretur, decretum: Joanni Jacobo Zannio  
munus delatum: præter incolarum militiam, duæ peditum  
selectæ cohortes, Epirotarum Equitum binæ turmæ tributæ.  
Armata navigia aliquot adjecta; ut omnem eam regionem  
Ferrariæ objectam, quæ amplissimis Pado atque Athesi  
amnibus alluitur, tueretur. Ad Benaci quoque lacus oram  
custodiendam animum Patres adjecere: biremes, quæ in na-  
vali Pischeriæ detinebantur, temporis vetustate collapsas refi-  
ci ac sarciri jussum: earum præfectus statim ad Benacum  
proficeretur, latum: ut Sirmionis eo in lacu sitæ insulæ,  
quæ sublico ponte continenti jungitur, non minus celeberrimæ  
Catulli poetæ memoria, quam situs, ad imperandum lacui,  
opportunitate insignis, præsidium augeretur, sancitum. Et  
quoniam externo milite, si res procederet, opus erat, Chri-  
stophorus Surianus, scriba, e Gallia, ubi tunc cum Petro  
Priolo legato erat, in Lotharingiam profici, Francisco Vau-  
demontio, transalpinarum copiarum imperatori, significare  
jussus: peditum atque equitum expeditas copias in promptu  
habeat;

*Venetorum  
apparatus  
ad bellum.*

*Joannes  
Jacobus  
Zannio,  
in Rhodigiæ  
peninsula  
legatus.*

*Biremes in  
Benaco la-  
cu instruuntur.*

*Christopho-  
rus Suria-  
nus scriba  
in Lozba-  
ringiam  
miratur,*